

primum de alimentis & medicamentis, eorumque facultatibus ac differentiis in genere agit, deinde insigniorum stirpium vires ex Galeni libris de simplicibus eodem ordine alphabeti Græci recenset, ut nos obseruauimus.

Auicenna librum secundum sui operis de medicamentis simplicibus omnis generis conscripsit, omnibus in unum literarum ordinem redactis, in quo authores citat, Galenum, Dioscoridem, & quosdam paucos Arabes. Idem in libro de corde, simplicia medicamenta (ut vocant) cordalia, serie literarum enumerat.

Abenbitar (vel, ut scribunt alij, Ebenbitar) conscripsit de simplicibus medicamentis opus insigne & magnum, ordine alphabetico, citatis authoribus, quod à Bellunensi aliquoties citatur, qui & Arabicum expositorem eum alii cubi nominat. Hoc nuper ex peregrinatione sua in Orientem doctissimus vir Guil. Postellus secum aduexit. In eo (inquit in epistola quam de suis ac peregrinis & secum aduectis libris nuper ad me conscripsit) simplicia quam plurima & re media innumerata, quorum nec nomen, nec virtus, nec usus, nobis adhuc innotuit, sunt expressa: atque omnia ita absolute, ut quicquid super iisdem medicamentis apud Dioscorideum, Galenum & Oribasium imperfectum & mutilatum est, ex hoc volumine restituiri & sarciri possit. Idem & alia multa de medicamentis simplicibus volumina, innomini natis authoribus, & Dioscoridis compen-

Cc 5